

Carmina funebria

In

Obitum præmaturum ac luctuosissimum,
Nobilissimi, fortissimi, vera pietatis omniumq; cum
rogatarum tum bellicarum virtutum laude præ-
stantissimi viri Iuuenis,

Dn. VVILLICHII
A BODENHAVSEN, QUI IN
Belgico, in expugnatione Castelli Rein-
bergensis ictu Bombardæ traiectus, pijs ad Deum
gemitibus, ex hac ærumnosa & laboriosa vita
ad cœlestem patriam commi-
gravit,

6. die Julij, Anno Christi
1601.

J E N Æ

Ex Officina Steinmaniana.



*Genere equestri, gravitate & prudentia, pietate
& eruditione, fortitudine & autoritate
praestantissimis & laudatissimis viris,*

DN. MELCHIORI,
DN. HENRICO, DN. CRAFFT ET
DN. IOHANNI à BODENHAVSEN, GERMANIS
fratribus in Ebeleben, Dominis in Rhoda, VVolf-
fingerhoda, & Niedergandern, Dominis fau-
toribus & promotoribus suis summo
summæ obleruantiaæ studio semper
obleruandis & colendis,

*Hosce lugubres de prematura fratris UUllichij
morte, pietatis, honoris, & amoris ergo
conscriptos versus,*

Dedicant & consecrant

Ex animo condolentes Autores.





Obilis induuijs quid cernere syndonis
albis

Quid fles Herois : largo quid gurgite
fletus

Solueris immodici? veluti Sipyleia quondam
Mater natorum nece fixa cacumine montis
Liquitur, & lachrimis etiamnum marmora sudant?
Quid Bodenhusiacæ soboles Heroidos alta
Tristia quid tarda pulli sola lymatis umbra
Stringitis alsiduo miscentes pocula fletu?
Haud secus ac quondam sceptris frenante superbis
Augusto Dominae fortissima mœnia Romæ
Audito cæsi fatali funere vari
Eiaculabantur prægnantes lumina rivos:
Quæ torrentis aquæ vestram violentia puppim
Corripuit! furit & quis versis æstus arenis?
Auree tunc cadis flos nobilitatis, & æqui
Occidis ah proles pugnae fortissima belli:
Tunc juuentutis VVillichi nobilis ingens
Stella jaces dulcis viduatus munere vitæ?
Ah hunc ah æui nondum vergentibus annis
Mortis inoratae strauit vis dira sagittæ.
Quis non in cœlum trepidantia lumina plorans
Obliquet tanti commotus funere Martis?

A 2

Ah

Ah genetrix fundi proles, Hantsteinia, celsa
Ah genetrix ah quid genetrix tibi mentis & oris
Hoc est ob fatum? quanti heu vestigia luctus
Anxifica ostendunt fracti suspiria cordis.
Ah o Nobilium quadruplex lucida fratrum
Gēma, quid ah lachrimas præter quid flebile præter
Iam superest tortum stricto de pectore flamen?
Nobilis ah meritò lugentum biga lororum
Emullos lachrimis oculos gestare videris
Nam mors præcipiti veniens celerique volatu
FR Atrem VVILLICHIVM pernici funere merfit.
Defunctum o miseris Stadenſia castra querellis
Flete virū columen quondā vestrum Hæctora vestrū
O memores meritū merito mactate sepulchri
Funeris officio tumulum. Num tristior unquam
Pondere fors duræ nos quisset tangere palmæ?
O probitas frontem mœstis obnube Cupressi
Funestæ ramis! O fle quem dia beavit
Nobiliore satus maioris munere Iuno.
Nam si quid probitas, pondus, si pondus origo
Stemmatis excelsi sibi vendicat, ille juventæ
Sapphirus cultu probitatis & indole celsa
Sanguinis Heroi clarus divesque cluebat.
Et licet HIC inijt sub justis plurima signis
Prælia perrumpens fulgentes ære phalanges,
Haud tamen infami castrensis more juventæ
Horrida sævitix præ se documenta ferebat.

Apte

Apte togæ apte sago ; ah memorande domici; foriq;
Nobilis ah dormis lethæo fonte retentus ?
O tibi maiores vitali in luce dedissent
Fata moras, patrias & Cœli serior ædes
Accesses : multum traxerunt flammea mentes
Vota, alacres ausis animos, & robur in armis
Sicini tanti ! Ipirantia pectora Martem
Marcelli tanti seros spectare Nepotes.
HIC supra (cunctis quod notum est) puberis æui
Exibat metas ; festinus & acriter audax
Laudis & ingenij, paucis imitanda peregit.
Sed iam tempus agens (dolor) almi veris, iniqui
Militis occubuit crudeli vulnere fossus.
Victus HIC ingenti diuini dogmatis œstro
Victus & HIC patriæ laudumque cupidine summa
Turrigeri superare parat fastigia muri.
Sed (dolor) hostiles animo præsentente cateruas
Aggrediens fato celeberrimus occidit Heros.
Impete vique pilæ trux quam iacit ære cauato
Flamma volans, Vtinam grauida cum mater in aluo
Gestaret Monachum, teli qui dicitur autor
Glandiferi, lassas quò Dædalus exiit alas
Iffet, & immanem foetum misisset in auras.
Forlan & intrepidis præstans V Villichius armis
Sic magis annosam potuisset condere vitam.
Heu brutam mortis feritatem : heu lurida mortis
Spicula, lemideum veri quæ cultus amictu

A 3

Trans-

Transfodis indutum, qui multos ampliter auxit
Vber opis cumulis meritorum: summa merendi
De quouis digno sitis immortalia vitæ
Semper manuræ meruisset fila, nequibas
Pelsima crudelis defendere nomina mortis
Hanc nisi lethali gemmam sicilice fidisses?
Quem me quem flendi mors infestissima campum
Induxti sydus nostræ demendo carinæ!
Tu Mecœnatem nostris truculenta camœnis
Subtraxti aureolo in flexu jam puberis æui.
Mens erat immemorem testanti carmine mentem
Maxima viventis benefacta referre Dynastæ.
(Huius enim mala me lethææ obliuia ripæ
Immemorem nondum grati fecere fauoris)
Sed miser inuitis lugubria carmina metris
Cogo: quid? asparagus jam nunc caput obtegat al-
mum

Taxeæ cum in mœstos & deplorata cupressus
Nubit sylua in eos capite indignante capillos,
O sol cor mundi promus condusque diei
Viuida num poteras traiectas tela per auras
Proijcere in terras, hic cum Bodenhufius Hector
Oppeteret: Phœbus Phœbi que vicaria fratris
Sunt nisi nigris (haud fallor) hebescere telis.
En dextram genetrix quadruplex en nobile fratrum
Germen in æternum luctum lachrimasque perennes
Ibo nobiscum, calidasque ciebo querellas.

Sed

Sed quid spargo vagris tristis ludibria ventis
Verba? quid immodicis iuuat indulgere querellis?
En fato functus V Villichius optima lucis
Gaudia perpetuæ rutilis ardente pyropis
Sede receptus agit, cunctarum & fune solutus
Curarum victum Sathanam mortemq; triumphat.
Almo namque cibo pietatis pastus, in æthra,
Nectaris æternæ gustabit pocula vitæ.
Et quia V Villichius fragilis communia sortis
Fata tulic (fragili nam quæ de semine creta
Inuiolabilibus stabunt obnoxia fati)
Pectoribus poterit tristes abstergere curas
Cordibus & pulsa mœroris nube reducet
Fulgentem lepidè jucunda lampade Phœbum.
Nobilis ô genetrix Heroa mente receptis
Viribus excutias mortalis singula sortis
Te næ mortalis sobolis peperisse videbis
Pignora, debentur rapidæ mortalia morti.
Et licet imperio fati sit mortuus æui
Flore vigente sui matris V Villichius ignis
En tua in insignem prolis conuerte quadrigam
Lumina: nonne graues extergant pectore curas?
Alpice primitias sobolis! Ipectabilis alta
MELCHIOR en facie prodit, cui nullus in orbe
Audeat eximiæ contendere munere formæ
Pulchrior est animus. Sobolem quis laude secundã
Condigna celebret? doctum sibi velle Maronem
Henrici

Henrici bello bellè quæ facta videntur.
Dignus & est Crato scribatur vt alite versus
Mæonij, cum quo non ausit cernere Mauors.
Iane quis omnimodo dignissime laudis honore
Sumeret ora tuas in laudes soluere quilnam?
Quo te Nobilium rosa fulgida carmina dignor
Nunc me dignari poterit non ulla Camœna.
Et nisi te pridem generosum, stemma superbis
Nobilitaret auis de te noua nomina genti
Nobilitatis honos ordiri posset amœnus.
Nonne etiam binæ clarissima lumina gnatae
Turbida tristitia lenibunt pectora tetra,
Ac iterum fundent viuum per membra vigorem.
Ergo decet metam nosmet ponamus amaris
Fletibus, atque pijs gratemur manibus omnes.
Salue V Villichi lepidi sub marmoris vmbra
Elysia sub valle vale, lætusque beatæ
Sedis in æternum nobis salueto, valetto.

*Antonius Töpffer Scholæ Francken-
busanae Corrector.*



AD VIRVM

Nobilitate generis conspicuum, virtutis splendore eximium, studio pietatis ornatissimum, doctrinae & eruditionis laude clarissimum, multarumq; rerum usu praestantissimum,

Dn. IOHANNEM à BODENHAVSEN, & c.
ILLVSTRISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI
ac Domino, Dn. Mauritio, Landgrauio Hassiae Cassellis à Consilijs & c. fratris **VVILLICHII** p. m. obitum grauius lugentem,
Dominum fautorem ac promotorem suum submissa
animi obseruantia colendum.



Obile nobilium fidusque decusque virorum,
O Bodenhusiaci sanguinis altus honor:
Quod fertur letho extinctus iam frater in armis
Ictu **VVILLICHIVS** laesus ab hoste globi:
Fama meas nunquam violentior iuit in aures,
Siderei testor lucida signa poli.

Atque vtinam vt semper temeraria, friuola, mendax,
Spargere per vulgus plurima ficta solet:
Hic quoque falsa serens mendacis murmura linguae,
Non aliquam posset promeruisse fidem.
Plurima sed certa sunt argumenta loquelae,
Nuncia quae famae vera fuisse docent.
Luget in Eblebijs pia mater sedibus atque
HENRICVS, generis spesque decusque tui,
Luget **VVolfrrhoda** generosus **MELCHIOR** Heros,
Quo solo fulta est sospite vestra domus.
Luget ad Herciniae scopulos **CRAFFT** inclytus armis,
Teutonis & patriae fama decusque lux.
Luget apud Catto grauius **BERLEPSCHIVS OTTHO**
VVILHELM Castalij gloria prima Chori.
Quid luctus horum dico lacrimasque profusas,
Te grauibus curis nocte dieque premi:
Alsidiisque animum cruciari doloribus aegrum,
Et lacrimis nullum constituisse modum.

B

(Scilicet



(Scilicet immitti carum quia pectore fratrem
Ante suum rapuit mors violenta, diem)
Pertulit (heu) nostras rumor vulgatus ad aures!
Ergo tuam nequeo non doluisse vicem.
Et merito! quis enim non proficeretur amore,
Ornarat quem tot dotibus ipse Deus.
Rara quidem res est virtus in corpore pulchro,
Atque ut res rara est, sic quoque grata magis.
Sic felix igitur, faustoque in sidere natus
VILLICHIVS, quem nunc Mors tulit atra, fuit.
Namque ipsi dederat faciem natura venustam,
Virtute & clarum fecerat esse simul.
Integritatis amator erat, nigredinis hostis,
Hospes honestatis, Iustitiaeque decus.
Non mordax, non fauce minax, non pectore fallax,
Optima quaeque probans pessima quaeque vetans.
Ambitiosus honos multorum pectora frangit,
Impedit & mentis gloria vana, decus,
Pectus avaritia quam pluribus ardet avaris,
Dat quibus immensas faenore Plutus opes.
Sunt & Acydaliae Veneris qui castra sequuntur,
Captantes Paphiae furta nephanda Deae.
VILLICHIVS melius, quem nulla superbia fregit,
Frangere praecellosos sapientius ausa viros.
Cor nec avaritia, nec labe libidinis arsit,
Casta probat castus cum sit & ipse Deus,
Nobile quid referam clarorum stemma Parentum?
Diuitis aut memorem munera sortis opes?
Qualis & ipse fuit, quantis virtutibus auctus,
Dum iuvat intrepido pectore castra sequi!
Non mea funereo titubans pede Musa valebit
Promere, Mæonij sunt ea Vatis opus.
Rebus Alexandro similis, virtute Philippo,
Praecellaris meritis dicitur usque suis.
Namque quis hoc magis est victricibus inclytus armis?
Hoc quis consilij dexteritate prior?
Hinc quoque perpetuam laudem famamque meretur,
Hinc sua nunc Vates fortia facta canunt,

Quem

Quem celebrant Musæ, viuit dum ventus & aër,
Dum nox & tenebræ, mensis & annus erunt.
Hinc pius Aeneas hinc aruanoſus Vlyſſes,
Nec totus rapidis perditus Hector equis :
Neleidesque ſenex, Ajax, & magnus Achilles,
Viuida perpetuæ nomina laudis habent.
Semper res geſtæ belloque togaque ſuperſunt,
Poſteritas quorum ſcripta trophæa legit,
Sed ſi nunc reliquas virtutes ordine longo
Carminè VVILLICHII commemorare velim :
Tempore deficiat ! tamen & potiora canemus
Quæ poſſeſſa decus laudis abunde parant.
A pueris ſtudio veræ pietatis amauit,
Et coluit toto pectore juſſa Dei.
Maxima cura fuit cœleſtia diſcere verba,
Huic ſcopus, huic vitæ regula Chriſtus erat.
Ergo etiam moriens lethali vulnere læſus
Supplex iſte DEO vota precesque facit.
Atque animam exhalans hunc tali voce rogauit :
O miſerere animæ iam Deus alme meæ.
Mēſis erat Iuli, Quintilis nomen adeptus
Dum ſexta Eoo lux micat orta polo,
(Lux infauſta nimis poſthac ſignanda querelis,
Triftibus, ac veterum more notanda, notis)
Scilicet vt luctus inter gemitusque frequentes
VVILLICHII ſubito victa dolore pij
Concedit vita ad cœlum, corpusque relinquit,
Cum vix luſtra ætas florida quinque videt.
Heu dolor, heu lacrimas, heu funera triſtia, Vatum
Verſibus ac querulis flenda dolenda ſonis.
Plangite Pierides lacrimantes plangite Vates,
Iunctus & Aonio plangat Apollo choro.
Plangite Pegafides, lugubria promite Vates,
Plorantum ex oculis Rhenus & Albis eant,
Sed cum fata queant nulla ratione moueri,
Nec tangat rigidos noſtra querela DEOS :
Quid iuuat indignis ita luctibus eſſe ſepultum,
Triftitiæ finem nec poſuiſſe modum ?

Quid iuuat insomnes lacrimis traducere noctes,
Noctibus & tristes continuare dies?
Ista fuit Superum iam non reuocanda voluntas
Heroum vt raperent tristia fata, virum.
Nil tamen hic cineres nisi mors lucratur inanes,
Virtutis nescit viuuda fama mori.
Ergo vt es infractus casus sapienter ad omnes,
IAN Bodenhufiacæ gloria summa, domus.
Lumen honestatis, studiorum cultor, & æqui,
Inclytus Heroum splendor, & altus honos.
Tristes nunc gemitus, & pectora plena doloris
Pone, nec æternum sic doluisse velis.
Sume precor lætam post tristia nubila mentem,
Et sine depulsa nocte, redire diem.
Aspicias vt claro tibi Cynthius æthere fulget,
Tollat vt ex animo tristia cuncta tuo.
Raptus ab humanis frater VVILLICHIVS oris,
At meliore sui parte superstes agit.
Is namque Heroes inter super ardua mundi
Climata, cœlestis præmia sedis habet.
Hunc olim annorum post plurima lustra sequeris,
Angelici cœtu concomitante chori.
Viue sed interea fato meliore superstes,
Viue diu, nullo tempore digne mori.

*M. Apollo Misenus Ebeleb.
SS. LL. Studiosus.*

F I N I S.

107.



QK. 286.

v. Bod




Obitum præmat
Nobilissimi, fortissimi
togatarum tum bel
stantiss

Dn. VV
A BODENH
Belgico, in expug
bergenfis ictu Bom
gemitibus, ex hac
ad coelester

6. die Jul

7 E

Ex Officin



a
944

